



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

2. De Euangelio Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

mandas. 2. Se vnice optare, vt animæ, quas ipse sic purificauit, illuminauit, inflammari, cooperando feruenter communicatæ sibi gratiæ contentur indies euadere seipsis puriores, illuminatiores, amore feruentiores. 3. Se insuper velle, vt communicatis sibi charismatis impensè vtantur in alijs quoque purgandis, illuminandis, accendendis. idque ex eodem infinito amore, eo fine, vt in terris sublimiorem gratiam, in cœlis ampliorem gloriam sibi alijsq; acquirant. Affectus ijdem.

## Feria II. Pentecostes.

*Sic Deus dilexit mundum. Ioan. 3. II.*

I. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Quam inestimabilis illa Dei erga homines vniuersos & singulos, & te, tam ingratum, dilectio, quæ vnde quaque est infinita! Nam dator tanti doni est Pater infinitæ Maiestatis: donum datum, est Filius, Patri coequalis: amor, quo datur, infinitus, est Spiritus sanctus: infinitum enim donum procedere non potuit nisi ab infinito amore, qui idè etiam dari debuit, vt Filius Dei, qui est donum infinitum, daretur: eum amor*

fit causa omnium donorum. Quis nō  
obstupescens hoc donum exclamet cū  
D. Paulo: *Gratias ago Deo super inenar-*  
*2. Cor. 9. rabili dono eius, præsertim si expendat,*  
quomodo, in quem finem, sit datum?  
Gratitudo, amor, fiducia filialis.

II. *Non misit Deus Filium suum in mun-*  
*dum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur*  
*mundus per ipsum.* Qualis ista bonitas  
& clementia misericordissimi Dei no-  
stri, qui cupit omnes homines, quan-  
tumvis ex se filios iræ, tam sublimi  
modo saluari, neminem damnari! Af-  
fectus ijdem.

III. *Lux venit in mundum, & dilexe-*  
*runt homines magis tenebras quàm lucem.*  
Quanta cæcitas & ingratitude eorum,  
qui è tenebris peccatorum ideò non  
emergunt, non quod auxilia gratiæ  
sufficientia non habeant: sed quod re-  
nebras suarū concupiscentiarum plus-  
quàm veram lucem Evangelicæ perfe-  
ctionis, quam Christus intulit mun-  
do, diligant. O quàm meritò his ex-  
probrat Deus per Oseam: *Perditio tua,*

*Ose. 13.*

*Israel, tantummodo in me auxilium tuum!*

*Psal. 4.*

*Et per Psalmistam: Filij hominum, us-*  
*que quò gravi corde, ut quid diligitis vani-*  
*tatem, & quaritis mendacium? Heu*  
quoties peccatores tenebras luci, va-  
nità-

nitatem veritati, creaturam Creatori, diabolum Christo anteponeere non erubescit? Horror peccati, detestatio ingratitude, contritio, compassio.

## Feria III. Pentecostes.

Ego sum ostium. Ioan. 10.

III.

I. **C**Hristus Dominus videns à Pharisæis seductorem se haberi, & <sup>Ioan. 9.</sup> cæcum à se sanatum, aliosque in se credentes, è Synagoga eijci, & à fidelium numero separari, redarguit eos, ostenditque se non esse seductorem: sed eos omnes seductores esse, qui per ipsum non intrant: eos verò solos legitimos pastores, qui per ipsum intrant: imò nullos esse verè fideles, qui nō intrant per eum, seu, qui nō credunt in ipsum: *Qui non intrat per ostium in ouile ouum, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. qui autem intrat per ostium, pastor est ouium.* Deinde declarat proprietates & officia legitimi pastoris: *Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt. & proprias oues vocat nominatim, & educit eas, & ante eas vadit.* Bonus enim pastor debet ab ostiario, id est, à Spiritu sancto intromitti in ouile, seu gregi